AZ.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
D
51
NAPOLI

XLII
Ø
51

PETRI LAMBECII PRODROMVS LVCVBRATIONVM CRITICARVM IN AVLI GELLII NOCTES ATTICAS:

Eiuſdem LAMBECII DISSERTATIO de Vita & Nomine A. Gellij.

NAPOLI

PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Regentis Architypographum. ET GABRIELEM CRAMOISY, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XLVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE VIRO LVCAE HOLSTENIO AVVNCVLO CARISSIMO P. LAMBECIVS S.

QVo *primum tempore Lutetiam veni, factum eſt, vt aliud quid in Bibliotheca Regia quærenti Auli Gellij codex manu ſcriptus in manus mihi inci-*

derit, qui cùm primo ſtatim intuitu non vulgaris notæ videretur, conferre libitum eſt. Sed vix cœperam, & ecce, ſpem bonam vicit longè melior euentus. Quare nauiter progreſſus, vt potui maximâ diligentiâ variantes lectiones inde excerpſi, quas dum finitâ collatione recenſeo, certiores ſelegi & expoſitis rationibus comprobaui. Interea certior factus ſum de ſex Codicibus Vaticanis & ſeptimo Mediolanenſi omnium, vt fertur, optimo & antiquiſſimo. Fugatis igitur priſtinis cogitationi-

bus, quas de integra eius auctoris editione conceperam, propoſitum illud in diem profectionis Italicæ differendũ cenſui. Nolui tamen hanc rem latere doctos aliquot viros, in quorum amicitiam tua me ope inſinuaui. Atque illi de integri quidem illius auctoris editione in ſententiam meam diſceſſere: cæterùm ea conditione, vt iam ſtatim Eclogis iſtis Manuſcripti Regij viam futuro operi præmunirẽ. Quod licèt non deeſſent rationes, quæ me ab eius conditionis ſuſceptione deterrere poſſent, facilè

tamen eorum auctoritate & iudicio perſuaderi mihi paſſus ſum, vt in hiſce locis monumentum hoc adoleſcentiæ meæ poſteris relinquerem. Innata enim eſt optimo cuiuis gloriæ & perennaturæ famæ fames, quæ ſi virtute & publico commodo nitatur, & verè laudabilis & proficua eſt. Hæc etiam nunc mihi animum dedit, vt Gellianas haſce lucubrationes ſub nominis tui auſpiciis in lucem emitterem, quæ licèt paupertinæ ſint & tumultuario ordine congeſtæ, non tamen aut pu-

blico inutiles aut patrocinio tuo indignæ. Tu quæſo, CARISSIME AVVNCVLE, *accipe eas, quô animo conſimiles olim tuas ſtudiorum primitias ab aliis excipi voluiſti; & ſicubi lapſus ſum (quod ſummis etiam viris in hoc ſcribendi genere accidit) vel temporis anguſtias cogita, quibus hæc ſcripſi, vel ætatem meam, quæ in his literis & multa prorſus ignorare & maiori cũ venia errare poteſt. Eaſdem tibi Lucubrationes auctiores & accuratiori examine caſtigatas promitto, quando inte-*

ger ille auctor ex cenſura noſtra prodibit; vbi eadem quoque opera habebis aliud opus EXERCITATIONVM MACROBIANARVM IN AVLVM GELLIVM. *Interim ſis contentus hoc præludio maioris Muſæ. Vale. Lutetiæ Pariſiorum Calend. Februarij* cIɔ. Iɔc. XLVII.

ERVDITO LECTORI S.

QVOD commune malum veterum auctorum ſcripta, quotquot hodieque extant, ſenſere, vt iniquitate temporũ & longa tranſcriptionum ſerie mutila manca & corrupta ad nos peruenerint, idem profecto euenit Auli Gellij noctibus Atticis. Præterquam enim quod ſextus liber ἀκέφαλος ſit, & octauus omnino interierit, tot mendis libri ſuperſtites obſiti ſunt, vt iampridem doctiſſimi quique Viri in eis purgandis ſe exercuerint, plerique tamen curſim ſaltem & aliud agentes. Inter eos primi ſunt Eraſmus Roterodamus, Aldus Manutius, Ioſ. Scaliger, Iſ. Caſaubonus, Adr.

Turnebus, I. Lipſius, Lud. Carrio & H. Stephanus. Ego illis ſucceſſi vſus Manuſcripto Bibliothecæ Regiæ, cuius ope quid præſtiterim, ERVDITE LECTOR, tuum eſto iudicium: Id tantùm moneo, quicquid boni inde erui, debere te non tam mihi, quàm Clariſſimis fratribus Puteanis, quorum ſingulari humanitate Bibliotheca iſthæc mihi patuit. Adhibui præterea in conſilium duas omnium antiquiſſimas editiones, quas inſtructiſſima Bibliotheca Eminentiſſimi Card. Mazarini mihi ſuppeditauit, quarú vna Romæ impreſſa eſt ab Aldo Manutio annò Chriſti cIↄ. CCCC. LXIX. altera Venetiis à Nicolao Ienſon cIↄ. CCCC. LXXII. His addidi paulò recentiores editiones Aſcenſij, Gryphij, H. Stephani, & præ ceteris eam, quæ

cum ipſius emendationibus & coniecturis Francofurti prodiit anno cIↄ. Icↄↄ xxiv. Habes apparatum, cuius adminiculo lucubratiũculas iſtas concinnaui: quare nil ampliùs te moror, ſi id vnum rogauero, vt leue hoc maiorum vigiliarum προγύμνασμα beneuolo ſinu excipias, & ſi opus ipſum (quod abſit) fauorem non meruerit, conatui ſaltē propter ætatē faueas. Vale.

Abbreuiaturæ, ſeu Vocum Compendia, quæ in hiſce Lucubrationibus occurrunt.

MS. R.	Manuſcriptum Regium.
H. ST.	Henricus Stephanus.
GR.	Gryphius.
ASC.	Aſcenſius.
C. TOR.	Codex Torneſianus.
S. E.	Superiores editiones.

Ad eruditiſſimum Iuuenem
PETRVM LAMBECIVM
Clariſſimi Viri
LVCÆ HOLSTENII
NEPOTEM.

*V*Ix *tua terſenis ætas numeratur ariſtis,*
Vixq; tuas audet pingere barba genas:
At tamen iſta facis Pylij quæ Neſtoris annis
Sint magis & Patrui pectore digna tui.
Hinc mihi certa fides (modò ſit tibi vita ſuperſtes)
Aonij quod eris dúxque decúſque chori.

GABRIEL NAVDÆVS.

P. LAMBECII DISSERTATIO DE VITA ET NOMINE AVLI GELLII.

AVLVS GELLIVS, Ciuis Romanus ex antiqua Gelliorum gente oriundus, omnem pueritiam & aliquam adoleſcentiæ partem Romæ literis & honeſtis artibus dedit, vſus Magiſtris, Sulpitio Apollinare grammatico, T. Caſtritio & Antonio Iuliano diſciplinæ Rhetoricæ do-

ctoribus publicis. Inde ſumtâ viríli toga cum compluribus aliis conterraneis ſuis Roma Athenas profectus eſt, vbi cum Herode Attico, Caluiſio Tauro & Peregrino Proteo philoſophis familiariſſimè vixit. Ibidem in Herodis villa febri decubuit: cõualuit tamen & cum Tauro philoſopho Delphos ad Pythia conuentúmque totius Græciæ viſendum abiit. Cúmque hoc modo aliquot annos in Græcia egiſſet, rediit inde Romam, & paulò pòſt à prætoribus in iudicem priuatum lectus eſt. Claruere ibi tunc temporis, præter eos quorum iam mentionem fecimus, Ælius Meliſſus grammaticus, Sex. Cæci-

lius, Feſtus Poſthumius & Iulius Celſus Iuriſconſulti, Iulius Paulus & T. Amianus poëtæ, Phauorinus & M. Cornelius Fronto oratores, quos omnes Gellius ſe familiariter nouiſſe, & ſæpiùs audiuiſſe teſtatur. Imprimis verò duos poſteriores Frontonem & Phauorinum, quos iam inde à puero diligentiſſimè ſectatus fuerat. Dies eius natalis incidit in iam adfectum Traiani imperium, adoleſcentia in Hadrianum, florens ætas in Antoninum Pium, obitùs in Marci Antonini Philoſophi principium. Scripſit libros xx. Noctium Atticarum, quos in agro Attico exorſus Romæ ſub Antonini Pij imperio in lu-

cem edidit: De præſtantia & vtilitate huius auctoris quicquam referre ſuperſedeo, cùm vino vendibili, quod dicitur, ſuſpenſa hedera nihil opus ſit. Cuicunque enim tempus voluptáſque erit commentationes iſtas attentè perlegere; res ipſa indicabit, ſummò iure ipſum à D. Auguſtino virum elegantiſſimi eloquij & multæ ac facundæ ſcientiæ appellatum eſſe. Hæc ſunt, quæ ad A. Gellij vitam pertinentia ex ipſius ſcriptis obſeruaſſe videor; ſupereſt vt de nomine eius agamus. Irroborauit inualuitque apud aliquot doctos heri, quod aiunt, atque nudius tertius falſa quædam opinio de nomine huius

Noctium

noctium Atticarum ſcriptoris; quem veteri & vero Auli Gellij nomine repudiato, Agellium vocari malunt. Immò verò eò iam proceſſere temeritatis, vt nullis rationibus nulláque fide digna teſtiũ interceſſione probatam coniecturam in ſolidæ veritatis locum ſubſtituerint, τυραννικῶς planè, vt ſit pro ratione voluntas. Sed profectò plus auſi ſunt quàm tolerari ignoſcique poſſit. Inter primos qui hunc errorem induxere eſt CL. V. Iuſtus Lipſius, cuius lib. 6. Quæſtion. Epiſtol. cap. 8. hæc verba ſunt: *Gellium an Agellium dicemus qui Noctes Atticas ſcripſit? Agellium conſtanter libri ſcripti, etiam illud*

optimæ notæ fragmentum Giſelini, appellant: Agellij Noctium Atticarum liber X. explicit. Incipit X I. feliciter. C. Aurelij Romuli.

Cecropias noctes doctorum exempla virorum
Donat habere mihi nobilis Euſtochius.
Viuat & æternum lætus bona tempora ducat,
Qui ſic dilecto tanta docenda dedit.

Hæc in fine libri Noni, vt vulgata diſtinctio eſt, in membranis illis leguntur. Priſcianus etiam nomina propria deducit à Seruo Seruilius, ab Agello Agellius. Hæc Lipſius, quæ an tanti ſint vt Gelliano nomini immutando

ſufficiant, paulò nunc accuratiùs penſitemus. Ad primam igitur obiectationem, quæ aliquot manuſcriptorum Codicum auctoritate nititur, quos Agellium habere affirmat, quid dignius reſpondeam quàm Sophoclis illud: Πόλις οὐκ ἔσθ' ἥτις ἀνδρὸς ἔσθ' ἑνός. Certè ſi ſecundùm teſtium multitudinem lis dabitur, Aulus noſter iam pridem vicit. Stant ab eius parte omnes ſcripti libri, ad quorum fidem primæ editiones impreſſæ ſunt. Abſit enim vt Aldum Romanum, qui primus hunc auctorem dedit, & Theodorũ Gazam, quo adminiculatore Aldus ſe vſum eſſe fatetur, tantæ condemnemus perfidiæ, vt contra

veritatem veterum codicum, Aulum Gellium nobis pro A- gellio obtruſerint. Apud me ſanè eorum auctoritas, & ſpectata fides meritò eſt potior, quàm obſcura iſthæc & nulli rei argumentis innixa nouitas. Fidem hîc appello Viri docti Petri Seruij Romani, qui in Miſcellaneis ſuis ingenuè affirmat, in ſex Codicibus Vaticanis conſtanter Auli Gellij nomen ſcriptum inueniri, aut expreſſim, aut prænomine ex antiquo more contracto in vnicam litteram A. puncto terminatam. Ipſe quinetiam Priſcianus nō aliter hunc auctorem citat, quàm Aulum Gellium lib. 6. vti videre eſt in antiquis libris excuſis & opti-

mæ notæ Manuſcripto CL. fratrum Puteanorum. Adde Auguſtinum de Ciuitate Dei lib. 9. c. 4. & lib. 1. quæſtionum ſupra Geneſin, Lupum Abbatem Ferrarienſem Epiſt. 1. & 5. Papiam in v. Bidens, & complures alios, quos hîc enumerare tædioſum eſſet. Quod licèt in quibuſdam Manuſcriptis nomen A. Gellij continua voce ſcriptum inueniatur, non magis id nos commouere debet, quàm ſi in luto inquinemur. Teſtis ſit ipſe Lipſius, quàm leue hoc ſit erratum, præ infinitis aliis, quę aut longinquitatę temporis & librariorum imperitia tam in hoç quàm quolibet alio ſcriptore çorrupta & cõtaminata ſunt.

Erroris anſam præbuit ignoratio antiquæ ſcripturæ, qua prænomina compendij ergô primis literis notari ſolebant, vt A. Perſius, A. Trebonius, A. Poſthumius, A. Licinius, &c. Vbi literam A. prænomen Auli ſignificare nemo dubitat. Hoc quoque modo Aulus Gellius contracto prænomine fit A. GELLIVS, & demto puncto AGELLIVS, & puncto reſtituto recuperat priſtinum ſuum valorem. Quapropter iſtis quidem Codicibus maiori cum venia error ille ignoſci poteſt, ob ſæculi eius barbariem, quo deſcripti ſunt: Noſtro autem æuo omnis etiam antiquitatis peritiſſimos viros errorem iſtum renouare,

& agnitam ſolidiſque argumentis firmatam veritatem ſola ſua auctoritate laceſcere, id demum manifeſta φιλαυτία & αὐθάδεια eſt. Porrò verſus, quos Lipſius velut è nouo quodam orbe tranſlatos ad firmandam auctoritatem Giſeliniani fragmenti affert, reperies in Aldina editione, quæ Romæ prodiit anno CIↃ. CCCC. LXIX. & Ienſoniana impreſſa Venetiis CIↃ. CCCC. LXXII. Vnde facilè liquet, quantum iſti fragmento in ſcribendo A. Gellij nomine fidendum ſit. Venio ad ſecũdam obiectionem, quæ ſi Lipſium audiamus, ſatis ſpecioſa eſt, ſin verò ipſum Priſcianum, non minus frigida, quàm inanis. Lipſij ver-

ba hæc ſunt: *Priſcianus etiam nomina propria deducit à Seruo Seruilius, ab Agello Agellius*. Priſciani ille locus eſt lib. 4. *In ius*, inquit, *deſinentia ſiue à nominibus, ſiue à verbis deriuata, ſeruant ante ius primitiuorum ſuorum cōſonantes, ex quibus incipiunt vltimæ & penultimæ ſyllabæ deriuatiuorum, ſed tum penultimæ, & cùm ipſa penultima in vocalem deſinit, & vltima à vocali incipit, vt ſeruus ſerui ſeruius, ſeruilis ſeruilius, agellus agelli agellius, ſylua ſyluius, virgula virgilius, mars martis martius, nuncio nuncius, ſaucio ſaucius, ſcio ſcius*. Quis quæſo vlla ratione ex Priſciani hiſce verbis eliciet, quod Lipſius nobis perſuadere

conatur? prætereo enim, quòd nec de nominibus expreſſim hîc agatur, nec à ſeruo, ſed à ſeruili deriuetur ſeruilius; id ſaltem interrogo vbinam Priſcianus dicat, aut Agelliam eſſe gentem Romanam, aut noctium hunc Atticarum ſcriptorē Agellium vocari? Ego profectò nil aliud ex hoc loco colligere poſſum, quàm ſimpliciter tantùm Priſcianum docere, quomodo ab agello agellius deriuetur, vti paulò ſuperiùs monſtrarat, qua ratione ab ager fieret agreſtis. Sed age concedamus (ſine præiudicio tamen noſtræ cauſæ) & Agellium nomen eſſe gentilitium, & quem hactenus falsò Aulum Gellium credidimus A-

gellium dicendum eſſe : quodnam ergo nouo iſti Agellio prę-nomen dabunt ? Nam abſque prænomine eum eſſe libertas eius non patitur : quippe apud Romanos ſeruorum nota erat vnum habere nomen, in l. quum precum C. de liber. cauſa. Et ipſe Priſcianus lib.2. *Ex illo*, inquit, *conſuetudo tenuit, vt nemo Romanus ſit abſque prænomine, & notatur vel ſingulis literis, vel binis, vel ternis, tum ſingulis quando à vocali incipit prænomen, vt A. Aulus, vel ab vna conſonante vt P. Publius, T. Titus*. At enim verò Agellij prænomen reuera eſt, quod ait Iuuenalis, rara auis in terris nigróque ſimillima Cygno. Nam

quære quouſque velis, terra, marique non inuenies. Neceſſariò ergo ſequitur, vt, quod à maioribus nobis per manus traditum eſt, Aulus ſit prænomen, Gellius nomen gentilitiũ. Gelliæ autem gentis, quàm frequens mentio in veterum monumentis extet, nemo paulum modo humanior ignorat. Circa annum V. C. DC. LXXXII. Conſulatum geſſit L. Gellius L. F. Poplicola, Collega Cnei Cornelij Lentuli, quicum idem Gellius annis paulò minus tribus poſt hunc Conſulatum cenſor factus eſt. Vide Ciceronem pro Balbo, & in Verrem, Valerium Max. lib. 5. cap. 9. Plutarchum in Craſſo, Eutropium &

Faſtos, quibus adde ipſum A. Gellium lib.5.cap.6. vbi de Corona Ciuica loquens: Hac, inquit, Corona L. Gellius vir cenſorius in ſenatu Ciceronem cõſulem donari à Republica cenſuit, quòd eius opera eſſet atrociſſima illa Catilinæ coniuratio detecta vindicatáque. Habes etiam, quem neſcio, L. Gellium in veteri inſcriptione apud Gruterum pagina 1030. Et alium quendam A. Gellium A. F. pagina 772.

CLAVDIÆ VENERIÆ.
A. GELLIVS A. F. DVM.
SECVNDVS.
BONONIA.
FECIT ET SIBI.
IN FR. P. VI. IN AGR. P. IX.

Sed de his quinam fuerint quave ætate vixerint, non ſatis mihi liquet. Ad notiores venio; inter quos primus ſe offert Cn. Gellius Annalium ſcriptor, quē ſæpiùs citant Cenſorinus, Soſipater, Macrobius, & ipſe A. Gellius l. 8. c. 14. & l. 13. c. 21. Hunc ſequitur Gellia, in quam hoc epigramma ſcripſit Martialis, ex quo præ cæteris de Gelliæ gentis vetuſtate iudicari poteſt:

Dum proauos atauóſq; refers & nomina magna,
Dum tibi noſter eques ſordida conditio eſt.
Dum te poſſe negas, niſi lato Gellia clauo
Nubere; nupſiſti, Gellia, ciſtifero.

En tibi in ſequenti inſcriptione aliam eiuſdem nominis, quę ſub Hadriano vixit M. Erutio Claro Conſule, quem iam adoleſcens Gellius noſter ſe vidiſſe teſtatur. lib.6. cap.6. & lib.13.cap. 16.

C. LVCCIVS C. F.
STEL. SABINVS.
BENEVENTI. DECVRIO.
VIVVS. SIBI. ET. GELLIAI.
PARATAI. VXORI. &c.

Sub eodem Imperatore habes M. Gellium Rutilium, de quo hæc extat inſcriptio apud Gruterum p. 252.

SABINÆ AVG.
IMP. CÆS. TRAIA.
NI. HADRIANI. AVGVSTI.
DIVI. NERVÆ. NEPOTI.

DIVI. TRAIANI. DAC. PAR.
FIL. D. D. FELICITAS IVLIA.
OLISIPO PER.....
M. GELLIVM RVTILIVM ET
L. IVLIVM AVITVM.

Apud eundem Gruterum pag. 268. Gellium Secundum ſub M. Aurelio Antonino inuenies, & complures alios Gelliani nominis, qui quia minus ad propoſitum noſtrum faciunt, ſatis eſt leuiter eas attigiſſe. Inſpice ipſe, ſi velis pag. 950. 179. 111. 241. 713. Supereſt L. Gellius, cuius nomini Arrianus libros, quos compoſuit de Epicteti diſſertationibus inſcripſit. Hunc ſi quis cum Aulo noſtro ex eadem ſtirpe ortum velit, me iudice rectum ſentit, quoniam ambo & Ro-

mani fuêre, & idem habuêre nomen, & ſtudia ſectati ſunt cõmunia, & eodem tempore vixerunt. Quod cùm tanti ſit nominis Gellia gens & maximè circa illa ipſa tempora, quibus Gellius noſter viuebat ſcribebátque; quantum ergo putant dignitatis optimo huic Auctori erepturi ſint, ſi per iniuriam auito Auli Gellij nomine ſuppreſſo, quem neſcio Agellium hominem ſeruum & ignotum terræ filium, pro ingenuo, domi nobili, Romano Ciue atque Iudice ſubſtituerint.

P. LAM-

P. LAMBECII LVCVBRATIONES CRITICÆ IN A. GELLII NOCTES ATTICAS.

Libro I. *capite* 5.

SED cùm L. Torquatus, ſubagreſti homo ingenio & infeſtiuo, grauiùs acerbiúſque apud conſilium iudicum, quum de cauſa Sullæ quæreretur, Dionyſiā eum notiſſimæ ſaltatriculæ nomine appellaret: tum voce molli atque demiſſa Hortenſius. Dionyſia, inquit, Dionyſia malo equidem eſſe, quàm quod tu, Torquate, ἄμουσος, ἀγροδίαιτος καὶ ἀπροσιτος.

IN MS. R. erat, ἄμουσος, ἀναφροδίατος ἀπροσδιόνυσος, quam lectionem vt veriſſimam repo-

nendam cenſeo. Vide autem, quàm eleganter Hortéſius Torquatum ἀπροσδιόνυσον vocet, ſimul & ad Dionyſiæ nomen tacitè alludens & eum inculpans, quod intempeſtiuè extra cauſam, quæ agebatur, in eius vitam moréſque inquireret. Eſt enim ἀπροσδιόνυσον contractum ex trito prouerbio, οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον, quod Zenobius ait dici, ἐπὶ τῶν τὰ μὴ προσήκοντα τοῖς ὑποκειμένοις λεγόντων.

*Lib.*1.*cap.* 7.*legit H. ST.*

In *centeſimo quinquageſimo* quoq; Quadrigarii annali *libro* verba hæc eſſe dixit:

Lectio inepta, error ortus eſt ex C L. nota prænominis Claudij, quod malè à Correctoribꝰ in

centeſimum quinquageſimum mutatum eſt. Quare indubitanter ſcribendum ex fide MS. R. *In* C L. *quoque Quadrigarij tertio annali verba hæc eſſe dicit.* Et ita legunt omnes antea excuſæ editiones, niſi quod pro CL., Q. ſubſtituant, vitio leuiſſimo, vel, ſi id mauis, nullo. Vtrumque enim & Quinti & Claudij prænomen Quadrigario fuiſſe infra lib. 9. cap. 1. & aliàs paſſim videre eſt.

Lib. I. *cap.* II.

Sed enim Achæos Homerus pugnam indipiſci ait, non fidicularum tibiarúmque concentu, ſed mentium animorúmque conſpiratu tacito nitibundos. Quid ille vult ardentiſſimus clamor militum Romanorum, quem in congreſſibus præliorum fieri ſcriptores annalium memorauere? *Contra* inſtitutum fiebat antiquæ

diſciplinæ *tam probabile ? An* tum *etiam* gradu clementi & ſilentio eſt opus, cùm ad hoſtem itur in conſpectu longinquo procul diſtantem ? cùm verò propè ad manus ventum eſt, tum iam è propinquo hoſtis & impetu propulſandus & clamore terrendus eſt.

Ita hunc locum edidit H. ST. cum in anteà excuſis legeretur: *Contrane inſtitutum*, &c. Sed non minus à veteri ſcriptura, quàm à ſenſu longiùs aberrauit. In MS. R. ſcriptum erat: *Contrane inſtitutum fiebat antiquæ diſciplinæ, tum q probabile*. Quare legerim: *Contrane inſtitutum fiebat antiquæ diſciplinæ? vtrumque probabile.* vt ſenſus ſit: vtrũque in congreſſibus præliorum probari poteſt, & Græcorum militum ſilentium & Romano-

rum clamor. Quæ ſequuntur indubitanter ita ſcripſerat Gellius: *Nam* tum *&* gradu clementi & ſilentio eſt opus c. a. h. i. i. c. l. diſtantem : cùm verò, &c. Male omnes hactenus excuſæ legunt: *An* tum *etiam* gradu, &c. & poſt *diſtantem* addunt ſignum interrogandi.

Sequitur eodem capite.

Ecce autem *pro tibicina Laconica*, tibiæ quoque illius concionatoriæ in mentem venit.

Lege : Ecce autem *per tibicinia Laconica*. Anſam mēdi dederunt abbreuiationes vocum per & pro. Mirum quàm frequens hoc in bonis auctoribus occurrat.

Lib. 1. *cap.* 15.

Linguam autem debere aiunt, non eſſe liberam, nec vagam, ſed vinculis de

pectore imo, ac de corde aptis moueri & & quaſi gubernari.

Videtur id deſumtum ex Ægyptiorum Hieroglyphicis, apud quos, vt ſcribit Horus Apollo lib. 2. καρδία φάρυγγος, ἠρτημένη ἀγαθοῦ ἀνθρώπου στόμα ἐσήμαινε.

Sequitur eodem capite.

Nunquam, inquit, tacet quem morbus tenet loquendi, tanquam veternoſum bibendi atque dormiendi, quod ſi non *conueniant*, *tum* conuocari iubet. Ita eſt cupidus orationis vt conducat, qui *auſcultet*. Itaque auditis non auſcultatis tanquam pharmacopolam: nam eius verba audiuntur, verùm ei ſe nemo committit, *ſi æger eſt*.

Velim ego hunc locum ex veſtigiis MS. R. ita emendari, nec dubito quin veriſſimè: *Quod ſi non conueniatis, cùm conuocari iubet, ita eſt cupidus orationis, vt conducat, qui auſcultent,*

& paulò pòſt, pro *ſi ager eſt* lege, *niſi ager eſt*. Quod autem ait Cato, *auditis non auſcultatis*, videtur alluſiſſe ad illud Pacuuij:

Nam iſtis qui linguam auium
intelligunt,
Plúſque ex alieno iecore ſapiunt
quàm ex ſuo,
Magis audiendum quàm auſcultandum cenſeo.

Lib. 1. *cap*. 22.

Cauenda igitur eſt non improprietas ſola verbi, ſed etiam prauitas *omnis*, ſi quis ſenior aduocatus adoleſcenti ſe ſupereſſe dicat.

Indubitanter legendum, *prauitas ominis*, ſenſus id & M S. flagitat. Vocat autem prauitatem ominis quam Græci δυσφημίαν. Putat enim adole-

ſcenti ἀώρεσι πλευτῶν ominari, ſi ei ſenior aduocatus ſupereſſe, quaſi illo mortuo in viuis ſuperſtes eſſe dicatur: quippe κατὰ φύσιν æquum eſt, vt qui primus introiuit in vitam primus exeat è vita. Sed nõta contra Gellianam ſententiam, verbum ſupereſſe, pro aduocatum eſſe cuipiam eiúſque cauſam defendere, apud Suetonium in Auguſto reperiri: *Conſuluit ſenatum, quod officij ſui putaret, cunctari enim ſe, ne, ſi ſupereſſet, eriperet legibus reum.*

Lib. I. *cap.* 21.

Nam neque pax eſt induciæ: bellum enim manet, pugna ceſſat. neque *in ſolis caſtris*, neque paucorum tantùm dierum induciæ ſunt, quid enim dicemus, ſi induciis in menſium aliquot factis *caſtris concedatur*? nonne tum quoque induciæ ſunt.

Locus mutilatus quem ex MS. R. auctiorem reddo: Quid enim dicemus ſi induciis in menſium aliquot factis *in oppida ex caſtris concedatur*. Veriſſimè ita ſcripſerat Gellius. Nam τὸ *in oppida* reſpondet illi quod paulum præcedit, *neque in ſolis caſtris*. Itidem in fine huius capitis, vbi hæc verba leguntur;

Induciæ, inquit, dicuntur cùm hoſtes inter ſeſe vtrinque, vltróque alteri ad alteros impunè, & ſine pugna ineunt. Inde *abeo*, inquit, nomen eſſe factum videtur quaſi initus atque introitus.

Lege & ſupple ex MS. Inde *adeo*, inquit, nomen eſſe factum videtur quaſi *initia hoc eſt* initus atque introitus. Hanc induciarum ἐτυμολογίαν iuuat non parum Varronis ille locus lib. 4.

de ling. lat. cap. 10. Animæ & corporis diſceſſus, quod natis ſit exitus, inde exitium, *vt cùm in vnum ineunt, initia.*

Lib. 2. cap. 13.

Orare cœpit, vt ſe defenderent liberóſque ſuos.

In MS. R. erat: Orare cœpit *quid*, vt ſe defenderent, &c. Legendum cenſeo: Orare cœpit *quirites*, vt ſe defenderent. Frequens enim in Hiſtoria Romana aduerſus vim & iniuriam fidem Po. Ro. & Quiritium implorare. Hinc *quiritare*, Quirites inuocare eorúmque auxilium cum miſeratione depoſcere.

Lib. 2. cap. 16.

Nam ſi hic Syluius, vt in omnium fermè annalium monumentis ſcriptum eſt,

poſt mortem patris natus eſt, ob eámque cauſam prænomen ei *impoſitum hoc fuit.*

Heu prauitatem Correctorum! Gellius olim ſcripſerat: *ob eámque cauſam prænomen ei poſthumo fuit*, & atteſtor ita legi in M S. R. De prænomine Poſthumi agit Varro lib. 8. Sic ab aliis rebus, inquit, cùm eſſent duo Terentij aut plures, diſcernendi cauſa vt aliquid ſingulare haberent notabant, forſitan ab eo, quod qui mane natus diceretur, vt is Manius eſſet, qui luci Lucius, *qui poſt patris mortem Poſthumus.* Vide præterea Feſtum, Plautum in Aulularia, & Plutarchum in Coriolano. Id duntaxat moneo, cùm Feſtus dicat, Poſthumus cogno-

minatur poſt patris mortem natus, ne quis miretur à Varrone, & Gellio Poſthumus inter prænomina referri. Audiat enim Priſcianum lib. 2. *Inuenimus tamen*, inquit, *multa in his quatuor ſpeciebus propriorum nominum, inuicem pro ſe poſita, & quæ in aliis perſonis ſunt prænomina, hæc in aliis loco nominum accipiuntur, vt Tullius Seruilius, hîc Tullius prænomen eſt: M. verò Tullius, hîc nomen.* Et Valerius Probus, vel quiſquis auctor eſt libri de nominibus & prænominibus Romanorum: *Quæ olim*, inquit, *prænomina fuerunt nunc cognomina ſunt, vt, Poſthumus, Agrippa, Proculus, Cæſar.* & idem aliàs: *Animaduerto enim*

in Conſulum faſtis perplexum vſum prænominum & cognominum fuiſſe, &c. Diligenter autem diſtinguēdum inter *Poſthumius*, *Poſthumus* & *Poſtumus*, qua in parte ſæpiùs erratum eſt in bonis auctoribus. *Poſthumius* enim gentilitium nomen eſt Poſthumiæ gēti proprium: *Poſthumus* verò prænomen quod imponebatur poſt humationem patris nato, vnde etiam eius ἔτυμον: *Poſtumus* contractè dicitur pro poſtremus; vt pro ſupremus ſummus, pro extremus extimus. Ita in Gloſſis latinis quæ Iſidori nomine circumferuntur, exponitur, Poſtumus, vltimus, nouiſſimus.

Lib. 4. cap. 8.

Fabricius *Lucinus* magna gloria vir, &c.

Lege cum M S. R. *Luſcinus*, approbante Valerio lib.2. cap.9. Emendo obiter Porphyrionem qui ad illud Horatij od. 12. lib. 1.

Gratus inſigni referam camæna
Fabritiúmque.

Fabritium, inquit, *Licinium* ſcilicet. lege *Luſcinum.*

Sequitur eodem capite.

Eam rem pleriſque admirantibus, quod hominē auarū, *cui eſſet inimiciſſimus* creari conſulem peteret, *quem hoſtiliter oderat*, Fabritius, inquit, nihil eſt quod miremini, ſi malui *compilari quàm venire.*

Laborant hæc verba manifeſto gloſſematis vitio: quis enim non videt, inani & inepta geminatione idem dici, *cui eſſet*

inimiciſſimus, & *quem hoſtiliter oderat?* Quare alterutrum omnino tolli debet, malim ego poſterius. In M S. R. hic locus mutilus erat, concipiebatur autem hoc modo: *Eam rem pleriſque admirantibus, quod hominem auarum, cui eſſet inimiciſſimus creari compilet quàm hoſtis vendat.* Quantum quidem ex hiſce verborum reliquiis coniici poteſt, puto ſcriptum fuiſſe: *Nihil eſt quod miremini ſi malim vt Conſul me compilet quàm hoſtis vendat.* Cenſeo tamen vulgatam lectionem potiùs retineri poſſe, cùm breuitate ſua maius acumen habeat. Interim quam ex M S. eruimus *παραφράσεως* loco ſit.

Sequitur hoc capite.

Id M. Cicero non aliis à Fabritio, ſed ipſi Rufino gratias agenti, *quod eius gratiam dedignatus non eſſet.*

Attende & deridebis ridiculam hanc lectionem. Emendo auctore Cicerone & veſtigio veteris ſcripturæ : *Quod eius gratia deſignatus conſul eſſet.* Ita profectò dictarat Gellius, ſed ob vltimam ſyllabam vocis *Conſul* malè ab exſcriptore omiſſam, pro *con* quod ex veteri ſcriptura ſupererat *non* ſubſtitutum eſt : & ne reliqua quoque verba omni prorſus ſenſu carerent, alij porro ex *gratia gratiam* & ex *deſignatus dedignatus* fecerunt.

Sequitur hoc capite.

Hunc Rufinum poſtea bis conſulatu

&

& dictatura functum cenſor Fabritius ſenatu mouit ob *luxuriæ* notam, quod decem pondo argenti *factitares.*

Corrige Gellium ex Gellio & lege: *quod decem pondo argenti facti haberet.* Ita infrà lib. XVII. cap. XXI. *Eodémq; tempore C. Fabritius Luſcinus, & Q. Æmilius Papus cenſores Romæ fuerunt, & P. Cornelium Rufinũ qui* II. *Cõſul & dictator fuerat ſenatu mouerunt, cauſámque iſti notæ ſubſcripſere quòd eum comperiſſent cœnæ gratia decem pondo argenti facti habere.* Ita Tertullianus eadẽ de re loquens Apolog. cap. 6. *Quonam,* inquit, *illæ leges abierunt ſumtum & ambitionem comprimentes? quæ patritium quòd decem pondo argenti habuiſſet, pro magno titulo ambitionis ſenatu*

ſummouebant. Nec dubium quin etiam Varronis illud fragmentum ex eadem hiſtoria deſumtum ſit, quod in vulgatis Nonij editionibus corruptè ita citatur: *Multitudo*, inquit Nonius, *cùm ſit numeri populorum, vt quidam putant, Varro pro multo non abſurdè adſcripſit de vit. pop. Ro. lib.* 2. *Nihilo magis propter argenti facti multitudinem miſerat furandum, quod propter cenſoriam ſeueritatem nihil luxurioſum habere licebat*. Mercerus maluit legi pro *miſerat furandum*, *hiis erat furandum*: Quod quid ſibi velit non capio. Legendum puto: *Nihilo magis propter argenti facti multitudinem ius erat excuriandi*, &c. Vt ſcilicet ſubin-

telligatur Varronem poſtquam in præcedentibus de Rufini duobus Conſulatibus & dictatura mentionem fecerat, hæc ſubieciſſe eum nihilo magis à cenſoribus excuriatum fuiſſe, propter luxuriæ notam, quod decem pōdo argenti facti haberet. Vide Valerium Max. lib. 2. cap. 9. Sed vt id quoque addam, voce *excuriare* pro ſenatu mouere, ſeu curia excludere, ipſe Varro ſimiliter vſus eſt in ἱπποκύων: *Apollonium*, inquit, *excuriabant quia nihil habebat*. Quare ne quis putet temere hîc à nobis eam vocem adhibitam eſſe. Vide Nonium in v. excuriari.

Lib.4. cap.13.

Refert etiam idem Democriti li-

ber qui inſcribitur περὶ λοιμῶν ἢ λοιμικῶν κακῶν.

Ita ex ingenio ſuo edidit H. S T. cùm in ſuperioris temporis editionibus legeretur, περὶ λοιμῶν ἢ λογικῶν καινῶν. Vtrumque æquè mendoſum. Legerim ex Laërtio, περὶ λοιμῶν καινῶν α΄. β΄. γ΄. Hoc enim titulo inter Democriti libros vnum fuiſſe refert.

Sequitur hoc capite.

In quo docet plurimis hominum *morſibus* medicinam fuiſſe incentiones tibiarũ.

Reſtituo ex MS. R. pro *morſibus morbis*. Ita Muſica apud Martianum Capellam de ſeipſa loquitur: *Perturbationibus animorum corporeiſque morbis medicabile crebrius carmen inſonui.* Sed fefellit correctores, quod paulum præcedit, morſi-

bus viperarum tibicinij medelam adhibitam fuiſſe. Quippe nõ animaduerterunt non Iſchiada ſolùm & morſus viperarum, ſed ipsã adeo Phreneſin, Febrim, Peſtilentiam, Surditatem, & plures alias animi & corporis afflictationes veteres modulorũ præſidio curaſſe: quod hoc loco innuitur, dum ait, plurimis hominum morbis medicinam fuiſſe incentiones tibiarum.

Lib. 4. cap. 17.

Pacuuius item in *Anchiſe.*

Legebat M S. R. *Pacuuius item in Chryſe.* optimè. Pacuuiani Anchiſæ, quod equidem ſciam, præter vnum hunc Gellij locum nulla apud Auctores fit mentio: At Chryſæ ſæpius, cu-

ius fragmenta à Cicerone, Varrone, Feſto, Nonio & aliis crebrò citantur. Quare hîc pro *in Chryſe*, *Anchiſe* ſubſtitutum cẽſeo, vt conſimili errore apud Nonium in v. Auſcultare pro *Chryſe*, *qui ſe*: quod etiam doctiſſimo Mercero viſum eſſe gaudeo.

Lib. 3. cap. 9.

Eum Caſſium poſtea ſatis notum eſt victis *Parthis* fuſóque exercitu ſuo miſeram mortem opetiſſe.

Lege: *victis Partibus*, id enim & ſenſus & hiſtoriæ fides poſtulat.

Lib. 4. cap. 20.

Ego me curo, equum Statius *meus ſeruus*. Statius autem ſeruile nomen fuit, &c.

Duo iſtæc verba *meus ſeruus*, ſpuria eſſe cenſeo, & à quodam

alio gloſſematis loco adtexta. Nam ſi genuina ſunt, quorſum illa, quæ ſequitur explicatio nominis Statij? Cùm quid ſibi velit nomen Statius per adiũctum gloſſema *meus ſeruus* iam antea clarum ſatis ac manifeſtum ſit. Quare vt in M S. R. ſimpliciter legendum, *Ego me curo, equum Statius.*

Sequitur.

Cæcilius quoque ille comœdiarum poëta inclytus ſeruus fuit, & propterea nomen habuit Statius, ſed poſtea verſum eſt quaſi in cognomentum appellatúſque eſt Cæcilius Statius.

Vti aliis aliquot ſignis, ſic etiam appellatione antiquitùs liberi à ſeruis diſtinguebantur. Olympiodorus: Πάλαι, inquit, καὶ τοῖς ὀνόμασιν διεκέκριντο οἱ ἐλεύθεροι τῶν

δȣ́λων: Atque ideo in libertatem vindicati aut nomen prorſus mutabant, aut quod fuerat nomen in cognomen vertebant, aſſumto nouo prænomine, Patroni plerumque à quo manumiſſi erant. Exemplo ſit Cæcilius Statius, de quo in præſens Gellius agit. Elegantiſſimè ad hunc morem alludit Perſius Sat. 5.

——Heu ſteriles veri, quibus vna Quiritem
Vertigo facit. Hic Dama eſt non treſsis agaſo
Verterit hunc Dominus momento turbinis exit
Marcus Dama, pappæ! ——
Hæc noua libertas, hoc nobis pilea donant.

Lib. 7. cap. 9.

Sed Quintus Ennius in Satyris memorderit dixit per e literam, non momorderit: Meum, inquit, non eſt, *at ſi me canis* memorderit.

In MS. erat: *Meum non eſt, alt'nus iſte canis memorderit.* Fortean ſcripſit Ennius: *Meum non eſt, alterius ſi te canis memorderit.* Vt ſit prouerbiali ſpecie dictum in eum qui mali ſui cauſam non ipſi auctori, ſed alteri cuipiam imputat, ὥσπερ κύων εἰς τὸν λίθον ἀγανακτοῦσα. Ego certe Enniana iſtæc verba hoc ſenſu emendari malim, quàm omni omnino ſenſu carere.

Libro 7. capite 18.

Et hoc quod dicemus, ei rei non tenue argumentum *eſſe poteſt. Prælio Cannenſi* Hannibal Carthaginenſium Imperator ex captiuis noſtris electos decem Romam miſit, &c.

Lectio interrupta. Nihil verius quàm legi opôrtere : hoc quod dicemus, ei rei non tenue argumentum *eſt. Poſt prælium Cannenſe*, &c. Vide Valerium lib. 2. cap. 9.

Lib. 10. *cap.* 23.

Inſtitutúmque eſt vt cognatis oſculum ferrent *reprehendendi* cauſa, vt odor indicium faceret ſi bibiſſent.

Lege, *deprehendendi cauſa*, ipſa id ratio poſtulat. De hoc autem Romanorum more conſulantur Plinius, Tertullianus, Seruius in Virgil. Athenæus & Dionyſ. Halicarnaſſ. Tacitè quoque eò alludit Martialis Epigram. lib. 5.

Fœtere multo Myrtale ſolet vino
Sed fallat vt nos folia deuorat lauri

Merúmque cauta fronde non aqua miſcet
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paule, videris contra
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Sequitur eodem capite.

Bibere autem ſolitas ferunt lòream, paſſum murinam *& quæ idgenus ſapiant potu dulcia.*

Lectio haud dubiè adulterina. Superioris temporis editiones pro *ſapiant* partim legũt *optant*, partim *epotant*. Quod ni M S. R. auctoritas obſtaret legerem ſimpliciter: *atque id genus potu dulcia.* Sed inibi ſcriptum erat: *& quæ idgenus expiant potu dulcia.*

Quare potiùs legendum videtur: *& quæ id genus exſpirant potu dulcia*: vt ſcilicet exſpirare hoc loco reſpondeat Græcorum ἀποπνέειν & ἀποπνεύεσθαι, quatenus exponitur διὰ τοῦ ὄζειν Latinè olere vel redolere. Ita Tertullianus Apologetici cap. 6. de re ſimili loquens: Idcirco, inquit, & oſcula propinquis offerre neceſſitas erat, *vt ſpiritu indicarentur*, vbi, *vt ſpiritu indicarentur*, idem eſt quod Gellius ait, *vt odor indicium faceret*. Sed nota perperam vulgò apud Tertullianum pro *indicarentur*, *iudicarentur* legi.

Lib. 5. cap. 16.

Sed & hic ea quæ diſſerimus imaginandum, eiuſdémque illius Enniani Neoptolemi,

de quo ſuprà ſcripſimus, conſilio vtendum eſt, qui deguſtandum ex philoſophia cenſet, non in eam ingurgitandum.

Vide miram metamorphoſin corruptiſſimi huius loci. In MS. erat: *Sed hic eáque diutiùs ĩmurnandum*. Latent hic veſtigia veteris & veræ lectionis, quæ profecto ita eſt: *ſed neque hîc diutius immorandum*, &c. Poſtquam enim Gellius in præcedentibus diſſeruerat, de videndi ratione ex diuerſis Philoſophorum opinionibus petita, hæc concluſionis inſtar addit: Reſpicit autem ad antecedens caput, vbi de philoſophica iſtac quæſtione agens, corpuſne ſit vox an incorporeum, ſimiliter cócludit hoc Enniani Neoptolemi dicto:

Philoſophandum eſt paucis, nam omnino haud placet.

Lib. 13. *cap.* 29.

Noſti, inquam, Magiſter verbum illud ſcilicet vetus: *Egregiam* Muſicam, quæ ſit abſcondita, eam eſſe nulli rei.

Ita legunt omnes S.E. & Eraſmus in enarratione huius prouerbij. At ſi quis paulò accuratiùs hæc verba penſitet, & cum Græcis vnde expreſſa ſunt conferat, facilè deprehendet vocem *egregiam* huic loco malè conuenire. Viderat id ex parte H.ST. qui propterea legi maluit: *Noſti, inquam, Magiſter verbum illud, ſcilicet egregiè vetus: Muſicam*, &c. Sed, quod aiunt, lutum luto purgauit. Omnino legendum ex MS. R. *Noſti, in-*

quam, Magiſter verbum illud ſcilicet è Gracia vetus: Muſicam, &c. Græcis enim quondam celebratum adagium; οὐδὲν ὄφελος ἀποῤῥήτου καὶ ἀφανοῦς τῆς μουσικῆς, à quibus id poſtea Latini mutuarunt. Ita Suetonius in Nerone; *Subinde*, inquit, *inter familiares Græcum prouerbium iactans. Occultæ muſicæ nullum eſſe reſpectum*. Sed facile fuit pro *è Gracia egregiam* ſubſtituere propter adfinitatem literarum C & G quæ in ſcriptis codicibus ſæpiùs confunduntur. Adde quod paulo ſit infrequentius dicere, *verbum è Gracia vetus*, pro, *vetus Græcorum prouerbium*.

Lib. 2. cap. 19.

Næuius in *Tryphallo*.

M S. *in Tiphallo*. Quare omnino legendum cenſeo cum Baptiſta Pio, & vetuſtis aliquot codicibus excuſis: *Næuius in Ithyphallo*. Nec tam auctoritas id mihi & M S. fides perſuaſit, quàm quod conſimilem prorſus, quamuis paulo manifeſtiorem errorem in Nonio deprehenderim. Legitur ibi in nouiſſima Merceri editione, & M S. Bibliothecæ Mazarineæ: *Longurio, id eſt, longus. Varro Tripallo* περὶ ἀῤῥενότητος: *Ego nihil Varro, ideo ita hic curat, qui ante me eſt, neſcio qui longurio*. Pro quo indubitanter lege: *Varro Ithyphallo* ἢ περὶ ἀῤῥενότητος. Notum enim Varronem omnes ſuas Satyras dupliciter inſcripſiſſe,

αἰνιγμα-

αἰνιγματώδως & κυρίως. Exemplo ſint ex iis, quarum fragmenta ad nos peruenere, Aborigines ἢ περὶ ἀνθρώπου φύσεως, Cygnus ἢ περὶ ταφῆς, ἔχω σε ἢ περὶ τύχης, Hecatombe ἢ περὶ θυσιῶν. Ad hunc, inquam, modum, quam περὶ ἀῤῥενότητος ſcripſerat Satyram, aptiùs certè intitulare non potuit, quā ἰθύφαλλον, ipſo ſcilicèt illius membri nomine, in quo virilitatis ſedes eſt. Quæ ſequuntur apud Nonium verba Varronis ita reſtituo: *Ego verò nihil video, ita hîc obſcurat, qui ante me eſt neſcio qui longurio.* Sed redeo ad Næuium, qui fabulam ſuam tranſtuliſſe videtur à Theocle veteri Poëta Græco, qui eiuſdem nominis fabulam fecit, te-

ſte Athenæo lib. 11.

Lib. 17. cap. 2. legit H. ST.

Sed nunc arrabo in ſordidis verbis haberi cœptus ac multo videtur *ſordidius* arra, quanquam arra quoque veteres ſæpè dixerint *& compluriens Laberius*. Miſerrimas, *inquit*, vitas exegerunt, & hic *mimus* in otiis inquit, conſumtus eſt. Elegantia vtrobique ex multitudinis numero quæſita eſt.

Certè ſi quis alius locus, tum vel hic imprimis de correctorum audacia cõqueritur. In antiquis editionibus pro *ſordidius rectius* ſcriptum erat & verè rectiùs. Dein poſt vocem *dixerint* interpunctum erat & incipiebat noua ἐκλογὴ ex Quadrigarij annalibus in hunc modum concepta. *Et compluries*, inquit, *in laboribus miſerrimas vitas exegerunt: & hic motus in otiis, inquit,*

conſumtus eſt. Vide quæſo quàm temerè & verba & ſenſum veteris ſcripturæ immutarint, quæ licèt mendoſa ſit, nilominus tamen integritatis ſuæ ſatis luculenta veſtigia retinet. Non dubito quin vera & genuina lectio ſit: *Complures, inquit, in laboribus miſerrimas vitas exegerunt: at hic nimiis in otiis conſumtus eſt.* Approbant hanc lectionem quę ipſe Gellius gloſſematis loco addit: *Elegantia*, inquit, *vtrobique ex multitudinis numero quaſita eſt.* Multitudinis numerum intelligit, quem vulgò pluralem vocant & reſpicit ad iſtæc verba, *in laboribus* & *in otiis*, quæ duo elegantiſſimè hoc loco Quadrigarius ſibi inuicem oppoſuit.

Libro 7. capite 1.

Neque multis diebus pòſt, quàm ille anguis in lecto viſus eſt, mulierem *concepiſſe : concepti* fœtus ſigna atque ſenſum pati.

Lege abſque interpunctione: *mulierem cœpiſſe concepti fœtus ſigna atque ſenſum pati:* Et ſenſus huius loci integer erit, qui alioquin hæret.

Lib. 17. *cap.* 10.

Quin etiam ſcientem vltrò *& oſtentandi* gratia venenum rapidum & velox ſæpenumero hauſiſſe, atque id tamen ſine noxâ fuiſſe.

Lectio ſuſpecta. Quæ enim in bibendo veneno oſtentatio? Ferri poſſet, ſi id non de Mithridate rege, ſed de Agyrta vel Præſtigiatore aliquo diceretur. Quare potiùs legendum videtur cum MS. R. *Quin etiam*

ſcientem vltro tentandi gratia venenum, &c.

Lib. 7. cap. 13.

Rhodienſes ſuperbos eſſe aiunt, id obiectantes, *quod mihi à liberis meis minime dici velim:* Sint ſanè ſuperbi, quid id ad nos attinet? Id ne iraſcimini ſi quis ſuperbior eſt quàm nos?

Ita edidit H. ST. cùm in antiquis editionibus lęgeretur: *quod mihi è liberis, &c.* Vtrumque mendosè. Me iudice vera lectio eſt: *Rhodienſes ſuperbos eſſe aiunt id obiectantes, quod mihi & liberis meis minime velim.* Sunt ſcilicet hæc verba ἀποτροπιασμὸς ſuperbiæ, quam Cato ſibi ſuiſque liberis vt pernicioſiſſimum malum deprecatur. Ita ex contraria parte clamant Iudæi in paſſione noſtri Saluatoris:

τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν. Abominandi autem hac formula, *Quod minime velim*, vtitur Cicero Epiſt. fam. lib. 19. ep. 1. *Quamobrem ſiue in Tuſculano, ſiue in Cumano adire te placebit, ſiue, quod minimè velim, Romæ*, &c. Idem lib. 12. ep. 8. *ſi, quod nolim, aduerſi quid acciderit.* & lib. 1. ad Q. fratrem ep. vlt. *Verùm hæc abſint velim.* Videntur Latini hoc loquendi genus expreſſiſſe ex Græcorum, ὃ μὴ γένοιτο. Vide Laërtium in elegantiſſimo Platonis Epigrammate: τῷ μήλῳ βάλλω σε, &c. Apud eundem in teſtamento Ariſtotelis: ἐὰν δὲ τῇ παιδὶ συμβῇ τι (ὃ μὴ γένοιτο οὐδὲ ἔσται) πρὸ τοῦ γήμασθαι, &c. & ibidem paulò poſt: ἐὰν δέ τι περί-

πρὶν συμβαίνῃ Νικάνορι (*ὃ μὴ γένοιτο*) &c. Addenda hæc formula Briſſonio vbi de teſtamentariis ſubſtitutionibus agit.

Lib.15.cap.1.

Tum Sylla conatus eſt & tempore magno eduxit copias , vt Archelai turrim vnam quam ille interpoſuit ligneam incenderet, *&c.*

Subeſt vitium Quadrigarij hiſce verbis. Lego : *Cùm Sylla conatus eſſet magno tempore, eduxit copias* , vt &c. Senſus eſt : *Poſtquam Sylla diu fruſtrà tentauit eminus expugnare Archelaum* , *eduxit copias* , &c. Videndus integer ille Quadrigarij locus apud Gellium.

Lib.9.cap.11.

De Maximo Valerio , *qui* Coruinus appellatus eſt , ob auxilium propugnatio-

némque corui alitis, haud quiſquam eſt nobilium ſcriptorem qui ſecus dixerit.

Non capio ſenſum huius loci, niſi legatur: *De Marco Valerio, quod Coruinus appellatus eſt ob auxilium propugnationémq; corui alitis, haud quiſquam eſt*, &c. Huic autem Valerio prænomen fuiſſe non Maximo, ſed Marco ex Liuio & aliis hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus conſtat. Paulò pòſt vbi legitur: *vt in Gallum tam immaniter arrogantem pugnare ſeſe permitterent*: Reſtitue: *In Gallum tam inaniter arrogantem*. Ita Liuius de re ſimili loquens: *Armatum*, inquit, *adornatúmque aduerſus Gallum ſtolide lætum producunt*.

Lib. 7. cap. 3.

Sed ſi honorem non æquum eſt haberi ob eam rem, quod benefacere voluiſſe quis dicit, neque fecit tamen: *Rhodienſibus tale erit*, non quod malè fecerunt, ſed quia voluiſſe dicuntur.

Corruptam eſſe & mutilam poſteriorem partem huius ἐπαγωγῆς, quiuis facilè primo ſtatim intuitu videt. Legendum cenſeo ex veſtigiis MS. R. *Nec Rhodienſibus oberit, non quod malè fecerunt, ſed quia voluiſſe dicuntur.*

Lib. 15. cap. 13.

Nouius in *Ligatraca.*

Mendoſum eſſe nomen huius fabulæ liquido conſtat. ASC. & GR. legunt: *in Ligararta Licinaria.* C. TOR. *in Ligararea.* Aliquanto melius MS. R. *in Li-*

garchia Liganaria. Me iudice lege: *Nouius in Lignaria.* Eius nominis fabulam Nouianam citat Priſcianus lib. 5. quamuis ibi perperam pro *Nouius Næuius* legatur, quo modo ſæpiùs erratum in nomine huius Poëtæ.

Lib. 10. *cap.* 3.

Vbi id audiuit, lecticam iuſſit deponi; *ſtuppis* quibus lectia *deligata* erat, vſque adeò verberari iuſſit, dum animam efflauit.

Lege: *ſtruppis quibus lectica religata erat*, Iſidorus lib. 19. c. 4. *Struppi*, inquit, *vincula loro vel lino facta.* Et ſtatim addit Liuij Poëtæ teſtimonium hoc:

Túncque remos iuſſit religare ſtruppis.

Sequitur hoc capite.

Contra ius contráque leges virgis cæ-

duntur aut ſupplicio *extremo* necantur.

In MS. pro *ſupplicio extremo*, *ſupplicio extimo* ſcriptum erat: Antiquè. Feſtus: *Extimum extremum ſignificat, ita vt intimo ſit contrarium.* Varro, Tithono ἢ περὶ γήρως, *Qua voluntatem æuitatis extima attigit metam æuitas.* Sed vt hoc obiter moneam. Ita vulgò corruptiſſimè legitur Varronis hoc fragmentum apud Nonium in v. Æuum, cui emendando quod ſciam nemo manum admouit. En tibi gemmam è ſtercore. Scripſerat olim Varro: *Quaſi volutatim extima attingit metam æuitas.* Sententia ex Philoſophorum ſinu depromta, quos de æui volubilitate conſule. Volutatim

ea figura dictum eſt qua minutatim, celeratim, ſaltuatim, &c.

Lib. 2. *cap.* 13.

Is Aſellio ſub P. Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuit, réſque eas quibus gerendis ipſe interfuit conſcripſit.

Hic ille eſt C. Sempronius Aſellio, cuius hiſtoriarum liber primus perperam à Nonio in v. Bubo ſub Agellij nomine citatur. Quamuis nouiſſimus eius editor pro Agellio ibi Gellium legi mallit, vt nimirum intelligatur Cn. Gellius auctor Dionyſio Halicarnaſſeo, Soſipatro, Macrobio & noſtro Aulo Gellio ſæpè laudatus. Sed profectò vir alioqui doctiſſimus non animaduertit, iſtum Cn. Gellium non ſimpliciter hiſtoriam ſui

temporis ſcripſiſſe, ſed annales inde vſque à prima Romanæ gentis origine; vt ita fragmentum illud Nouianum, ſi ad hunc Gellium pertineat, non ex hiſtoriarum, ſed annalium libro primo citari neceſſum ſit. Quare apud Nonium pro *Agellius hiſtor. lib.* 1. omnino legi debet, *Aſellio hiſtor. lib.* 1. vt apud eundem in v. gliſcitur, *Aſellio hiſt. lib.* IV. Eiuſdem hiſtoriarum liber III. citatur à Priſciano lib. 5. Sed vt apud Nonium *Agellius*, ita ibi malè *Aſellius* vocatur.

Lib. 3. cap. 3.

Paraſitus ibi eſuriens hæc dicit;

Vt illum dii perdant primus qui horas repperit,

Quique adeò primus ſtatuit hoc ſolariũ,

Quod mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero vterus erat ſolarium
Multo omnium iſtorum optimum & veriſſimum.
Vbi iſte monebat eſſe, niſi cùm nihil erat.
Nunc etiam quod eſt, non eſtur, niſi ſoli lubet.
Itaque adeò iam oppletum eſt oppidum ſolariis
Maior pars populi arida reptant fame.

Habes ſimillimam eſurientis Paraſiti querelam in Alciphronis Rhetoris epiſtola, quæ, quoniam & elegans eſt & hactenus inedita, non ingratum fore arbitror, ſi integram eam hîc adſcripſero.

Τρεχέδειπνος Λοπαδεκθάμβῳ.

Ὁ γνώμων οὔπω σκιάζει τὴν ἕκτην· ἐγὼ δὲ ἀποσκλῆναι κινδυνεύω τῷ λιμῷ κεντούμενος. εἶεν ὥρα σοι βουλεύματος Λο-

παδέκθαμβε, μᾶλλον δὲ μοχλοῦ καὶ καλωδίου ἀπάγξασθαι. Εἰ γὰρ καὶ ὅλην καταβαλοῦμαι τὴν κίονα τὴν τὸ πικρὸν τοῦτο ὡρολόγιον ἀνέχουσαν, ἢ τὸν γνώμονα τρεπόμενον ἐκεῖσε ἴδοιμι, οὐ τάχιον δυνήσεται τὰς ὥρας ἀποσημαίνειν, ἔσται τὸ βούλευμα παλαμήδειον· ὡς νῦν ἐγώ σοι αὔω ὑπὸ λιμοῦ καὶ αὐχμῆς. Θεόχαρις δὲ οὐ πρότερον καταλαμβάνει τὴν στιβάδα, πρὶν αὐτοῦ τὸν οἰκεῖον δραμόντα φράσαι τὴν ἕκτην ἑστάναι. δεῖ οὖν ἡμῖν τοιούτου σκέμματος, ὃ καταζοφίσασθαι καὶ παραλογίσασθαι τὴν Θεοχάρους εὐταξίαν δυνήσεται. Τραφεὶς γὰρ ὑπὸ παιδαγωγῷ βαρεῖ καὶ ὠφρυωμένῳ οὐδὲν φρονεῖ νεώτερον, ἀλλ' οἷα τις λάχης ἢ ἀπολεξίας, αὐστηρὸς μὲν τοῖς τρόποις καὶ οὐκ ἐπιτρέπει τῇ γαστρὶ πρὸ τῆς ὥρας, ἢ ἐκεῖνος τοῦ πίμπλασθαι. ἔῤῥωσο.

Ibidem.

Marcus autem Varro in libro de comœdiis Plautinis primo *actu* verba hæc

ponit: Nam nec Gemini, nec Leones, nec Cordalium, nec Anus, nec Bis compreſſa, nec Bœotia Plauti vnquam fuit. Neque adeò ἄγροικος, neque Commorientes, ſed *M. Acutici.*

Quid hoc? an Varronis ille liber fabulæ inſtar in certos actus diuiſus erat? & vt id fuerit, an verba quæ ex eo libro hîc citantur, ipſius Varronis ſunt? Certè prius illud affirmare abſurdum eſt, poſterius etiam piaculum. Nam ſi ipſi Varroni iudicium hoc de fabulis Plautinis addicamus, conſequens erit, eum ſibimet non conſtare, cùm in hiſce verbis Bœotiam Plauti genuinam fabulam eſſe neget, quod paulò anteà indubitanter affirmauit. Rem tam impeditam ope Manuſcripti Regij expedio

pedio, vbi ſcriptum erat: *Marcus autem Varro in libro de comœdiis Plautinis primo, Accij verba hæc ponit;* &c. Rectiſſimè. Sunt ſcilicèt verba, quæ hîc ex Varrone citantur, Accij illius; quem Gellius ait indicem ſcripſiſſe ſuper fabulis Plautinis; quæ dicuntur ambiguæ. Quare vides quàm temerè H. ST. *&* *actu* velut otioſam vocem editione ſua excluſerit. Sed nec ipſa Accij verba abſque mendo ſunt. Quis enim ille *M. Acuticius*, quem Bœotiam & alias aliquot fabulas Plauto falsò adſcriptas feciſſe ait? In MS. erat: *M. Accilij:* Ego reſcribi velim, *M. Aquilij*. Confirmant hanc lectionem præter veſtigia vete-

ris ſcripturæ, ipſius Gellij hæc verba, quæ paulùm præcedunt: *Sicut iſtam*, inquit, *quam proximè legebamus, cui eſt nomen Bœotia; nam cùm in illis vna & viginti non ſit & eſſe Aquilij dicatur; nihil tamen Varro dubitauit, quin Plauti foret*, &c. Similiter erratum eſt apud Varronem de lingua Lat. lib. 5. in hiſce verbis: *Accenſum ſolitum ciere Bœotia oſtendit, quam Comœdiam alij eſſe dicunt.* vbi omnino legendum: *quam Comœdiam Aquilij eſſe dicunt*. Quamuis non deſint, qui *alij* in *Ælij* mutandum cenſent, ſed, quod pace eorum dixerim, minus rectè.

Lib. 13. cap. 8.

Eo namque argumento demonſtrat, qui ſapiens eſſe rerum humanarum velit, non libris ſolis, neque diſciplinis rhetoricis dialecticiſque opus eſſe, ſed oportere eum verſari exercerique in rebus *cominus* noſcendis periclitandiſque, eáque omnia acta & euenta firmiter meminiſſe.

Vox *cominus* ſenſui plane cõtraria eſt. Rectiùs legeretur: *In rebus eminus noſcendis*; id eſt, πόῤῥωθεν, ſeu ex longinquo: ſed neque hoc probo, nixus MS. R. auctoritate, vbi ſcriptum erat: *In rebus communibus noſcendis.* Res communes vocat τὰ πᾶσι κοινῶς συμβαίνειν εἰωθότα. Itá communes ſenſus, Deus communis, & communes literæ apud Phædrum, Auſonium, Tertullianum. Dicitur autem quadrupliciter ali-

quid commune eſſe, ἢ δ' εἰς τὰ μέρη διαιρετὸν, ὡς κληρουχουμένη γῆ, ἢ δ' ἀδιαιρετὸν ἐν χρήσει κοινῇ λαμβανόμενον, ἢ δ' ἐν περικαταλήψει ἰδιοποιούμενον, ὡς ἐν θεάτρῳ τόπος, ἢ ἐν βαλανείῳ, ἢ δ' ἀδιαιρέτως εἰς κοινὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔννοιαν προβαλλόμενον, ὡς ἡ φωνὴ τοῦ κήρυκος. Vide Vlpianum in Demoſt. Orat. περὶ τῶν ἐν χεῤῥονήσῳ.

Lib. 16. *cap.* 4.

Iuſiurandum eos tribunus militaris adigebat in verba hæc: In Magiſtratu C. Lælii C. F. Conſulis, L. Cornelii P. F. Conſulis, in exercitu decémque millia paſſuum propè furtum non facies, dolo malo, ſolus neque cum pluribus, *&c.*

Nota formulam, *Solus neque cum pluribus*, quam Romani ab Athenienſibus mutuarunt. Apud eos enim Ephebi, vbi vigeſimo anno Ciuium albo in-

ſcribebantur ita iurabant: οὐ καταισχυνῶ τὰ ὅπλα, οὐδὲ καταλείψω τὸν παραστάτην, ᾧ ἂν τύχω, ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν, καὶ ὁσίων, καὶ μόνος, καὶ μετὰ πολλῶν. Et paulò pòſt: καὶ ἄν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμοὺς οὐκ ἐπιτρέψω, ἀμυνῶ δὲ καὶ μόνος, καὶ μετὰ πάντων. Vide Iul. Pollucem lib. 8. cap. 30.

Lib. 17. cap. 8.

Conſideremus, cur oleum quidem ſæpè & facilè *ſtet*: vina rarenter congelaſcant.

In MS. R. erat: *cur oleum quidem ſæpè & facilè: ſed vina rarenter congelaſcant.* Ita certè aptiùs cohæret hic locus, & habet maiorem vim particula *quidem*, quam vt otioſam H. S T. extra editionem ſuam eliminauit. Attamen non fugit me, ſi quis veterem lectionem malit,

eam ſic defendi poſſe, vt videatur hîc verbum *ſtare* dictum, quâ ratione ſuperiùs ait, *mare Scythicum gelu ſtringi & conſiſtere.*

Lib. 3. *cap.* 17.

Quod *impenſo pretio* librum Pythagoricæ diſciplinæ emiſſet, éxque eo Timæum nobilem illum dialogum *continuaſſet.*

Quem non prima facie offendit verbum continuaſſet? Repone eius loco ex MS. R. *concinnaſſet*, & ſalua res erit. Concinnare, conficere, colligere, proprietatem habet à cinno, quod erat apud veteres potionis genus ex variis liquoribus confectum. Pro *impenſo pretio*, MS. legebat *immenſo pretio.*

Lib. I. *cap.* 12.

M. Cato de Luſitanis cùm Ser. Galbam accuſauit, *eum dicit ius pontificium diſcere noluiſſe.* Ego me nunc volo ius pontificium optimè ſcire, iámne ea cauſa Pontifex capiar? *&c.*

Locus corruptiſſimus, ex quo nihil ſani elicies. In MS.R. ſcriptum erat; *M. Cato de Luſitanis, cùm Ser. Galbam accuſauit, tamen dicunt deficere voluiſſe.* Quare facta interpũctione poſt vocem *accuſauit*, reliqua ita legerim; *Luſitanos dicunt deficere voluiſſe.* Sunt ſcilicèt hæc verba, & quæ ſequuntur, fragmentum ex Oratione Catonis, quã habuit pro direptis Luſitanis contra Ser. Sulpitium Galbam. Sed quo manifeſtior ſit emendationis noſtræ veritâs, addidi

ex Liuiana epitome libri quadrageſimi noni, quæ ad rem pertinere viſa ſunt: *Cùm L. Scribonius tribunus pl. rogationem promulgaſſet, vt Luſitani, qui ex fœdere Po. Ro. dediti à Ser. Sulpitio Galba in Gallia vaniſſent, in libertatem reſtituerentur, M. Cato acerrimè ſuaſit: extat oratio in annalibus eius incluſa. Q. Fuluius Nobilior ſæpè ab eo in ſenatu laceratus reſpondit pro Galba. ipſe quoque Galba cùm ſe damnari videret amplexus duos filios prætextatos, & filium C. Sulpitij, cuius tutor erat, ita miſerabiliter pro ſe locutus eſt, vt rogatio antiquaretur. Extant tres orationes eius, duæ aduerſus L. Scribonium trib. pl. rogationéſ-*

que eius habitas de Luſitanis, vna contra L. Cornelium Cethegũ, in qua Luſitanos prope ſe caſtra habentes caſos fatetur, quod compertum habuerit, equo atque homine ſuo ritu immolatis, per ſpeciem pacis adoriri exercitũ ſuum in animo habuiſſe. Habes in poſterioribus hiſce verbis excuſationem Galbæ, quæ nititur iuſta reprehenſione voluntatum in rebus illicitis. Dicit enim Luſitanos per ſpeciem pacis adoriri exercitum ſuum in animo habuiſſe, & niſi occupaſſet repentina eorum incurſione oppreſſum fuiſſe. Huic argumento reſpondet nunc Cato: *Luſitanos*, inquit, *dicunt deficere voluiſſe. Ego me nunc volo*, &c. Si-

mili ἐπαγωγῇ vſus eſt idem Cato in Oratione pro Rhodienſibus, ex qua hæc citantur apud Gellium l. 7. cap. 3. *Qui acerrimè,* inquit, *aduerſus eos dicit, ita dicit, hoſtes voluiſſe fieri. Et quis eſt tandem noſtrorum, qui quod ad ſeſe attineat, æquum cenſeat, quenquam pœnas dare ob eam rem quod arguatur malè facere voluiſſe?* &c. Plura autem de hac actione in Ser. Sulp. Galbam, vide apud Ciceronem, Valer. Maximum, Suetonium, & Aſcon. Pædianum Comment. in Diuinationem.

Lib. 4. cap. 20.

Qui iurabat Cauillator quidam & Canicula & *nimis ridiculus* fuit.

Similiter ferè Cicero in Bru-

to: *Longè autem poſt homines natos improbiſſimus C. Seruilius Glaucia, ſed peracutus & callidus imprimíſque ridiculus.* Idem loquendi genus puto olim fuiſſe in epiſtola 17. lib.9.ad familiares, quæ vulgò ita incipit: *Non tu homo ridiculus es, qui cùm Balbus noſter apud te fuerit ex me quæras, quid de iſtis municipiis & agris futurum putem?* In antiquis excuſis & manuſcriptis aliquot codicibus, quos inſpexi, legitur; *Num tu homo ridiculus es? qui*, &c. Ego vocem *num* truncam cenſeo & ſcripſiſſe abſque interrogatione Ciceronem: *Nimium tu homo ridiculus es, qui*, &c. Ita alibi Cato apud Gellium: *Næ tu*, in-

quit, *Aulæ nimium nugator es, cùm maluiſti culpam deprecari, quàm culpa vacare.*

Lib. 4. *cap.* 4.

Rem, inquit Phauorinus, planè *dicam.* Poſtulas, quod eſt difficillimum, dici planius.

Corruptum hunc & malè diuulſum locum ita reſtituo: *Rem, inquit Phauorinus, planè dictam poſtulas (quod eſt difficillimum) dici planiùs.* Vide, quantum vnica litera in ſenſu valeat, & quam temerè & abſque vlla ratione in nouitiis aliquot Gellij editionibus particula negatiua verbis hiſce inſerta ſit.

Sequitur hoc capite.

Et ſi ignoro, an hordeum ſit ex penu, aut quibus verbis penus definiatur, *non ea re* literas quoque alias neſcio.

Quid voces iſtæ *ea re* ſibi velint, non video. Credo legendum: *non propterea literas quoque alias neſcio.*

Ibidem paulò pòſt:

Quod enim ipſius patrisfamilias eiúſque familiæ, quæ circa eum, aut liberos eius eſt, *& opus non facit*, cauſa paratum eſt, penus videri debet.

Quorſum hæc verba? *& opus non facit*. Reſcribendum ex MS. R. *& opus eorum facit.*

Lib. 4. cap. 3.

Memoriæ traditum eſt *quingentis ferè annis* poſt Romam conditam nullas rei vxoriæ, neque actiones, neque cautiones in vrbe Roma aut in Latio fuiſſe, *&c.*

Puto hîc excidiſſe vocem *plus*, & ſcriptum olim fuiſſe à Gellio: *quingentis plus ferè annis P. R. C.* vti ſuprà lib. 17. cap. 21. *Poſt Sophoclis & Euripidis*

mortem annis plus ferè centum ſexaginta. Si enim ſimpliciter legas *quingentis fere annis P. R. C.* idem prorſus valet particula *ferè*, quod formula *non longe minus*, qua conſimili ratione vtitur lib. 20. cap. 1. *A quo tempore*, inquit; *ad hunc diem anni eſſe non longe minus ſeptingenti videntur.* Hanc autem ſignificationem hoc loco particulæ *ferè* attribuere, contra ipſum Gellium eſt, qui paulò pòſt expreſſim ait, Sp. Caruilium Rugam primum feciſſe diuortium, ſub Conſulatu M. Atilij & P. Valerij, qui, vti volunt accuratiores Chronologi, incidit in annum V. C. IↃ. XXVII. Quare aut vocula *plus* hîc inſerenda eſt;

aut cum Tertulliano legendum, *ſexcentis ferè annis P. R. C.* Tertulliani locus eſt Apologetici cap. 6. *Vbi eſt illa,* inquit, *felicitas matrimoniorum de moribus vtique proſperata, quâ per annos fermè ſexcentos ab Vrbe condita nulla repudium Domus ſcripſit?* &c.

Ibidem.

Tum primùm Cautiones rei vxoriæ neceſſarias eſſe viſas ſcripſit, cùm Sp. Caruilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis diuortium cum vxore fecit, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerētur, anno Vrbis conditæ IↃ.XXIII. M. Atilio P. Valerio Conſulibus.

De anno primi diuortij ipſe ſibi Gellius non conſtat. Infrà enim lib. 17. cap. 21. id factum dicit anno V. C. IↃ. XIX. hîc

contrà anno I Ↄ. XXIII. Vtrobique haud dubiè in ſcriptura numeri erratum eſt. Reſcribendum cenſeo, I Ↄ. XXVII. in quem annum V. C. incidit conſulatus M. Atilij Reguli & P. Valerij Flacci, vti placet Varroni Verrio Flacco, & aliis diligentioribus temporum ſcriptoribus.

Ibidem.

Atque is Caruilius traditur vxorem, quam dimiſit, egregiè dilexiſſe, chariſſimámque morum eius gratia habuiſſe, & iuriſiurandi religionem animo atque amori præuertiſſe, quod iurare à cenſoribus coactus erat, vxorem ſe liberorum quærendorum gratia habiturum.

Iiſdem pænè verbis refert hoc diuortium Dionyſ. Halicarn. lib. 2. Γρῶτος ἀπολύσας λέγεται τὴν ἑ-

αὐτοῦ

αὐτοῦ γυναῖκα Σπούριος Καρουίλλιος, ἀνὴρ οὐκ ἀφανὴς ἀναγκαζόμενος ὑπὸ τῶν Τιμητῶν ὀμόσαι, τέκνων ἕνεκα γυναικὶ συνοικεῖν. Solennis autem formula legitimi coniugij, *liberorum quærendorum gratia*, quam Ariſtænetus elegantiſſimè Græcè reddit: ἐπ' ἀρότῳ παίδων γνησίων γαμετὴν ἄγειν, Damaſcius in vita Iſidori, γυναῖκα παιδοποιὸν ἄγειν, Pythagoras in Symbolis, γυναικὶ πλησιάζειν ἐπὶ τεκνοποιίᾳ. Similem habes diuortij cauſam apud Photium in Excerptis ex Iſidori Philoſophi Vita: ὁ δὲ πάντων σωφρονέστατος Θεοσέβιος, καὶ τὴν πρὸς γυναῖκα παιδοποιὸν ὁμιλίαν ἐδέξατο. ἐπεὶ δὲ παῖδας οὐκ ἐγεινάτην, κατασκευασάμενος ὁ Θεοσέβιος τὸν τῆς σωφροσύνης δακτύλιον· ὦ γύναι, φησὶ τῇ γυναικί, πάλαι μὲν σοι ἐπιδέδωκα δακτύλιον παιδουργοῦ συμβιώσεως· τὰ νῦν δὲ τοῦτον ἐπιδίδωμί σοι

σωφρονιστὴν, ἐπίκουρον σοι παρεσόμενον ἀεὶ τῆς σώφρονος οἰκουρείας· εἰ μὲν οὖν δυνήσῃ τε καὶ θελήσεις ἐμοὶ συμβιῶναι τὸν καθαρώτερον τρόπον. εἰ δὲ μή, ἔξεστιν ἀπαλλάττεσθαι πρὸς ἕτερον, ἀλλ' ὅμως καὶ παρθένως ἐκδεδομένην παρὰ φίλου φίλῳ, &c. Vbi imprimis nota elegantiſſimè vocari annulum pronubum ſeu ſponſalitium, ἁρμοστὴν παιδουργοῦ συμβιώσεως, & cum vxore legitimè congredi: τὴν πρὸς γυναῖκα παιδοποιὸν ὁμιλίαν δέχεσθαι.

Lib. 5. cap. 10.

Poini, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni iſſe obuiam, ſi verba non ipſe facerem, atque alio patrono vterer. Sed *magis* mihi in iſta victoria *proludium* eſt, cùm te non in cauſa tantùm, ſed in argumento quoque iſto vinco.

Non ſatisfacit mihi hic locus, neque adeò ipſi rationi. Veterem lectionem ex MS. R. erui,

quæ hæc eſt: *Opto, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni iſſe obuiam*, &c. *Sed maius mihi in iſta victoria prolubium eſt, cùm*, &c. Erroris cauſa fuit vox *prolubium* quæ cùm paulò rarior eſſet, in *proludium* mutata eſt & ſono viciñam, & vulgò magis notam.

Libro 5. *capite* 8.

Veluti cùm dicitur: M. Cicero homo magna eloquentia *atque Roſcius* hiſtrio ſumma venuſtate.

Manifeſtè peccatum eſt in editione H. ST. vbi legitur: *&* *quaſi Roſcius*, &c. Vtrobique reſcribendum: *&* *Q. Roſcius*, &c. Prænomen *Quinti* in particulas *que* & *quaſi* mutatum eſt popter abbreuiationem.

Lib. 3. cap. 16.

Eςι δὲ καὶ οὐκ ἔςιν ὀκτάμηνος φύσις. Id tam obſcurè atque præcisè, *támque aduerſè dictum*, &c.

Non probo hæc verba, *támque aduerſè dictum*. Abſit enim vt credamus Gellium noſtrum de Hippocrate tam malè iudicaſſe, quaſi ſibimet in hiſce verbis non conſtaret. Dico legendum: *id tam obſcurè atque præcisè, tanquam aduerſè dictum*, &c. Ita profectò ſcripſerat Gellius: Videntur enim primo intuitu Græca iſtæc Hippocratis, ἔςι δὲ καὶ οὐκ ἔςιν ὀκτάμηνος φύσις, aduersè eſſe dicta, ſed reuera non ſunt, vti liquet ex ſubiunctâ Sabini interpretatione: ἔςι μὲν, φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν, οὐκ ἔςι δὲ, ὡς θνήσκοντα μετὰ ταῦτα.

Lib. 2. *cap.* 29.

Cùm igitur ipſa iret cibum pullis quæſitum, monet eos, vt *ſi quid ibi rei noua fieret*, diceretúrve, animaduerterent, *&c.*

Nimis hoc durum atque coactum. Malim cum MS. R. *ſi quid interea noui fieret*, &c.

Ibidem.

Hæc quidem eſt Æſopi fabula de amicorum & propinquorum leui & inani fiducia. Sed quid aliud ſanctiores libri Philoſophorum monent, *quàm* vt in nobis tantùm ipſis nitamur? Alia autem omnia, quæ extra nos extráque noſtrum *animum* ſunt neque pro noſtris, neque pro nobis ducamus.

Auctior voce hic locus in MS. R. vbi legitur: *leui plerumque & inani fiducia*. Optimè: Quæ ſequuntur abſque interrogatione ita reſcribenda cenſeo. *Sed quid aliud ſanctiores libri Philo-*

ſophorum monent ; vt in nobis tantùm ipſis nitamur, alia autem omnia, &c. Particula *quam* nauci non eſt, & à nugatore quodam Gellio donata. Error ortus ex vocibus *quid aliud.* Paulò pòſt legitur in MS. R. pro *extra noſtrum animum*, *extra noſtrum arbitrium*. Sed malim veterem lectionem : Ita Demophilus vetus Pythagoricarum ſententiarum collector : πέπεισο μὴ εἶναι σὸν κτῆμα, ὅπερ μὴ ἐντὸς διανοίας ἔχεις; quod eſt, vti vertit noſter Gellius. Quicquid extra animum tuum eſt, ne pro tuo ducas.

Ibidem.

Mater iubet eos *à metu otioſos* eſſe.

Lege ex MS. R. *Mater iubet eos animo otioſo eſſe*, ideſt, ani-

mo ſecuro & tranquillo. Ita Terentius: *Vbi te vidi animo eſſe omiſſo.* Ex contraria parte Cicero de Oratore lib. 2. *Suſpenſo*, inquit, *animo & occupato Craſſum tibi reſpondiſſe video.* Conſule Eraſmum in prouerbio, Otioſus eſto.

Lib. 2. cap. 26.

Sed in iis tamen coloribus, quibus modò dixiſti *deſignandis*, non perinde inopes ſumus, vt tibi videmur. Non enim hæc ſunt ſola vocabula rufum colorem demonſtrantia, *&c.*

Repone ex MS. R. pro *deſignandis denominandis*. Idē verbum excidit Macrobio Saturn. lib. 1. cap. 16. vbi vulgò perperam legitur: *Dies autem poſtridianos ad omnia maiores noſtri cauendos putarunt: quos etiam a-*

tros, velut infauſta appellatione,
damnarunt. Reſcribendum omninò: *quos etiam atros velut infauſta appellatione denominarũt.*

Lib 7. cap. 17.

Mittamus, inquam, ſicuti vis, quod Plautus obnoxiè dixit, ſi id eſſe nimis remotum putas, & quod videtur *vobis peruulgatius* eſſe, id me doce.

Cùm cætera omnia ſingulari numero dicantur, ipſa ratio negat τὸ *vobis* hîc ferri poſſe: Legendum me iudice: *& quod videtur notius peruulgatiúſque eſſe, id me doce*: Cuius lectionis ſatis luculenta extant veſtigia in MS. R.

Lib. 7. cap. 20.

Eſt adeò inuenire apud nobiles poëtas huiuſcemodi ſuauitatis multa, quæ *appareat nouata* eſſe non fortuita.

Reſcribe: *quæ apparent nauata eſſe, non fortuita.* A nauus, ſtrenuus, fortis, deducitur verbum nauare, quod valet, exquiſita diligentiâ elaborare. Quare elegantiſſimè hîc opponitur τῷ αὐτοσχεδιάζειν ſeu fortuitò aliquid agere.

Ibidem.

Vno quippe in loco *tales tanquam hiatus & ſonitus* in aſſiduis vocibus *pluribus* facit.

Attende & ſenſus idonei nihil elicies. Lego: ex veſtigiis M. R. *Vno quippe in loco tales támque hiantes ſonitus in aßiduis vocibus complures facit.* Nota ſimiliter hîc tanquam pro támque ſubſtitutum eſſe, vti contra lib. 3. cap. 16. támque pro tan-

quam, quod paulò antè monui.

Lib. 17. cap. 14.

Publius Mimos ſcriptitauit, dignúſque habitus eſt, *qui ſuper Laberio iudicaretur*. C. autem Cæſarem ita Laberii maledicentia & arrogantia offendebat vt acceptiores & probatiores ſibi eſſe Publii quàm Laberii Mimos prædicaret.

Locus corruptus propter ignorationem paulò remotioris vocabuli. Lege indubitanter ex MS. R. *qui ſuppar Laberio iudicaretur*. Senſus eſt, Publium Mimographum tanto in honore fuiſſe, vt non ſuppar tantùm Laberio iudicaretur, ſed à Cæſare etiam ipſi præferretur.

In Libri vltimi Caput vltimum, ſeu in præfationem Gellianam, quæ perperam vulgò perorationis locum obtinet.

Atqui iucundiora alia reperiri queunt. Ipſe autem ad hoc ſcripſi, vt liberis quoque meis paratæ iſtiuſmodi remiſſiones eſſent, *&c.*

In optimæ notæ MS. R. erat hoc caput in initio totius operis poſitum: incipiebat autem hoc modo: *Iucundiora alia reperiri queunt,* &c. Neutra lectio placet mihi, tam manuſcripta, quàm excuſa. Nam velim vocem *atqui* nec planè deeſſe, nec ſupereſſe. Meâ quidem ſententiâ vetus lectio eſt: *Alij iucundiora alia reperire queunt: Ipſe autem,* &c. vt ſcilicet in mente

habuerit Gellius Atticorum illud prouerbium, ἄλλαι δ᾽ ἄλλων ἐπιτηδεύσεις, quo nihil aptius ad hanc ſententiam. Ita Plinius lib. 9. epiſtolam ad Paulinum inchoat: *Alius alium ego beatiſſimum, exiſtimo, qui*, &c. Et Iulianus Imperator epiſtolam ad Serapionem: ἄλλοι μὲν ἄλλοις τὰς πανηγύρεις νομίζουσι· ἐγὼ δὲ, &c. Et Theon Arati Interpres: ἄλλοις μὲν μελέτω γραφὰς ἀλλοίας ποιεῖν, ἡμεῖς δὲ &c. Hac ratione etiam Gellium noſtrum præfationem ſuam inchoaſſe credo. Quod ſequitur: *Ipſe autem ad hoc ſcripſi*, id eſt, in hunc finem, à Græcis deſumtum eſt, qui dicunt πρὸς τοῦτο & ἐπὶ τούτῳ. Ita Phædrus fabulator:

Cùm deſtinaſſem terminum operis habere,
In hoc, vt aliis eſſet materiæ ſatis.

Ibidem.

Ego verò cùm illud Heracliti Epheſii viri ſummè nobilis verbum cordi haberem, quod profectò ita eſt: Introite, nam & hîc Dii ſunt.

Non ſatis mirari queo, ſpuriũ hoc Heracliti dictum inualuiſſe tamdiu neque inueniſſe vindicem, ipſo etiam ſenſu falſitatem eius arguente. Sed quid? video etiam fuiſſe, qui id defenderent, & quæ neſcio ſomnia ad eius probationem confingerent. Ego certè illarum partium me fore promitto, vbi vnicum ſaltem claſſici alicuius auctoris teſtimonium de hoc

prouerbio in medium produxerint. Interim quam veram & genuinam lectionem ex MS. R: erui, reponendam cenſeo; Ea hæc eſt: *Ego verò cùm illud Heracliti Epheſij viri ſummè nobilis verbum cordi haberem quod profectò ita eſt:* πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει. Senſus Græci huius prouerbij eſt, Confuſam & prolatatam doctrinæ varietatem mentem potiùs obtundere, quã àd ſapientiam promouere. Videamus nunc quàm aptè & concinnè hæc Gellianæ iſti diſſertationi conueniãt: quod quò meliùs fiat, rem paulò altiùs repetam. *Sed ne conſilium quidem*, inquit Gellius, *in excerpendis notandiſque rebus idem mihi quod*

pleriſque illis fuit. Namque illi omnes & eorum maximè Græci, multá & varia lectitantes, in quas res cumque inciderant, alba vt dicitur, linea ſine cura diſcriminis ſolam copiam ſectati conuerrebant: Ego verò cùm illud Heracliti Epheſij viri ſummè nobilis verbum cordi haberem, quod profectò ita eſt: πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει. *Ipſe quidem voluendis tranſeundiſque multis admodùm voluminibus exercitus defeſſúſque ſum; ſed modica ex iis eáque ſola accepi, quæ aut ingenia promta expeditáque ad honeſta eruditionis cupidinem vtiliúmque artiũ contemplationem celeri facilique compendio ducerent,* &c. Verè autem hoc Heracliti Ephe-

ſij dictum eſſe, nec vt priſtinum illud, falſum & ſuppoſititium liquet ex Diogene Laërtio, cuius in ipſius vita hæc verba ſunt: Μεγαλόφρων δὲ γέγονε παρ' ὁντιναοῦν καὶ ὑπερόπτης, ὡς καὶ ἐκ τοῦ συγγράμματος αὐτοῦ δῆλον, ἐν ᾧ φησι· Πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει. Itidem fit eius mentio apud Athenæum lib. 13. vbi, cùm Myrtilus multa quidem & immodica, ſed parùm vtilia de Philologicis doctrinis ediſſeruiſſet, tum addit Cynulcus, conſimili prorſus ratione qua hîc Gellius: Πολυμαθημοσύνης τῆς οὐ κενεώτερον οὐδὲν, ἵππων ἔφη ὁ ἄθεος; ἀλλὰ καὶ Ἡράκλειτος ὁ θεῖος φησι, Πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει. Τί γὰρ ὄφελος τῶν τοσούτων ὀνομάτων, ὦ γραμματικὲ, πάντας ἐπιτρίψαι μᾶλλον ἢ σωφρονῆσαι δυνα-

δυναμένων τοὺς ἀκούοντας. Accipe & illud quo minùs de veritate hüius lectionis dubites. In duabus antiquiſſimis Gellij editionibus, Græcis hiſce verbis vacuus relictus locus eſt: vtrum verò id caſu factum ſit, quod Græca hæc in Manuſcriptis, ad quorum fidem editiones iſtæ impreſſæ ſunt, defuerint: an conſultò, quod ſolitum circa prima typographicæ artis incrementa, neutrum temerè affirmarim. Id certè verum eſt, lacunam iſtam ſuppoſititio huic prouerbio, *Introite nam & hîc Dij ſunt*, locum dediſſe. Puto autem id à ſemidocto quodam conflatum eſſe ex malè lectis & intellectis hiſce Plinij verbis,

quibus in Hiſtoriæ naturalis præfatione eodem modo, vt hoc loco Gellius, titulorum feſtiuitates inſectatur: *Inſcriptiones*, inquit, *propter quas vadimonium deſeri poßit, at cùm intraueris, Dii Deæque, quam nihil in medio inuenies.*

Ibidem.

Facta igitur eſt in his quoque commentariis eadem rerum diſparilitas, quæ fuit in illis *annotationibus* priſtinis, quas breuiter & indigeſtè & inconditè, *annotationibus*, *tractationibus*, *lectionibúſque* variis feceramus.

Multum moleſtiæ hic locus doctis viris præbuit, quibus repetitio iſtæc datiui *annotationibus* ſuſpecta erat, nec immeritò. Abſit tamen, vt perſuaderi nobis patiamur, Gellium iam

antè alias annotationes edidiſſe, quàm Noctium Atticarum commentarios aggrederetur. Nodum hunc ſoluo ex MS. R. in quo ſcriptum inueni: *quas breuiter & indigeſtè & inconditè eruditionibus, lectionibúſque variis feceramus.* Optimè. Quicquid enim in Noctibus Atticis tractatur, in duo hæc aut eruditionum, aut lectionum genera cadit, vt nimirùm ea vel ex aliis audierit, vel ipſe legerit. Paulò inferiùs in ſimili ſenſu vocem *eruditionis repetit.*

Ibidem.

Ex quo facilè adoleſcant, aut ingenia hominum vegetiora aut memoria adminiculatior, aut *oratio ſolertior*, aut ſermo incorruptior, *&c.*

Ipſa ratio legendum monet:

aut ratio ſolertior, aut ſermo incorruptior. Eodem modo corrige Macrobium, qui, vti integram ſe è Saturnaliorum præfationem ex hac Gelliana concinnauit, ita vitio quoque cum ipsâ communi laborat.

Lib. 1. *cap.* 3.

Super amici capite iudex cum duobus aliis fui. Lex ita fuit, vti eum hominem condemnari neceſſe eſſet. Aut amicus igitur *capili perdendus*, aut adhibenda fraus legi fuit.

Mendoſum hunc locum eſſe, iampridem notauerunt docti viri, qui pro *capili perdendus*, reſcribendum cenſuere, *capitali perdendus*; ſed quo ſenſu quave ratione, mihi hactenus non liquet. Legendum exiſtimo: *aut amicus igitur capite pœ-*

niendus, aut adhibenda fraus legi fuit. Ita ipſe Gellius lib. 20. cap. 1. *Niſi duram eſſe legem putas, quæ iudicem arbitrúmve iure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepiſſe conuictus eſt, capite pœnit.* & ibidem paulò pòſt: *quod ita de iniuria pœnienda ſcriptum eſt.*

Lib. 20. cap. 8.

Id etiam multò mirandum eſt magis quod apud Plutarchum *in IIII. in Heſiodum commentario* legi: Cæpe tum reuireſcit & congerminat decedente luna: contrà autem inareſcit adoleſcente. Eam cauſam eſſe dicunt ſacerdotes Ægyptii cur Peluſiotæ cæpe non edant, *&c.*

Latet anguis in herba. Reſcribendum omnino: *quod apud Plutarchum in Iſin & Oſiridem commentario legi*, &c. Verba

ipſa Plutarchi, quæ Gellius ex eo libro citat, hæc ſunt: οἱ δὲ ἱερεῖς ἀφοσιοῦνται καὶ δυσχεραίνουσι, καὶ τὸ κρόμμυον διαφυλάττοντες, ὅτι τῆς σελήνης φθινούσης μόνον ἀναθάλλειν τοῦτο καὶ τεθηλέναι πέφυκεν. Habes, erudite Lector, veram corruptiſſimi huius loci lectionem, & ſimul Prodromi noſtri FINEM. Tu vale, &

——ſi quid nouiſti rectius iſtis
Candidus imperti, ſi non, his vtere mecum.

ADDITAMENTVM.

VERVM eſſe, erudite Lector, quod ait Terentius, nunquam ita quenquam bene ſubducta ratione ad vitam eſſe,

quin res, ætas, vſus ſemper aliquid adportet noui, id ego nunc re ipſa didici. Nam propè iam excurſo ſpatio huius Prodromi, dum Lucubrationes iſtas paulò ſeriùs relego, pauca quædam ſub manu mihi nata ſunt, quæ antea aut prorſus non videram, aut parùm animaduerteram. Ex his igitur, quæ maximè neceſſaria viſa ſunt, hîc ſubieci, ſuis quæque locis reponenda.

Pag. 21. lin. 2. adde Priſciani hunc locum ex lib. 7. *nox à nocte noctium: Vnde A. Gellius noctium Atticarum inſcripſit.*

Pag. 57. l. 17. adde: Quin etiam metri ratione obſeruata emendatio illa tolerari poteſt.

Nam ſi ὃ *alterius* tollatur, integer reſtat ſenarius:

Meum non eſt, ſi te canis momorderit

Eo autem verſuum genere, Ennium ſatyras aliquot ſcripſiſſe, videre eſt ex fragmento, quod citatur apud eundem Gellium lib. 18. cap. 2.

Pag. 99. l. 8. adde: Eadem voce in ſimili ſignificatione vſus eſt idem Gellius lib. 16. c. 19. *Feros*, inquit, *& immanes nautas prolubium tamen audiendi ſubit.*

Pag. 101. l. 7. adde: Vereor tamen, ne pro *interea*, *interibi* ſcriptum fuerit à Gellio, quæ vox & ad veterem ſcripturam propiùs accedit, & ſimiliter

occurrit lib. 9. cap. 2. *interibi, cùm aliquot*, &c

Pag. 32. *in fine diſſertationis de nomine A. Gellij, adde:* Præterea non fugit me, reperiri, qui omnino abſurdè nobis obiiciunt Agellium quendam Nouatianum Conſtantinopoli Epiſcopum, cuius mentio fiat apud Niceph. Calixtum lib. 11. cap. 14. Sed iſti improbè mentiuntur, cùm conſtanter in omnibus editis libris non Agellium, ſed Agelium inuenias vti natione ita quoque nomine Græcum. Quare pluribus his reſponderi ſuperuacaneum cenſeo.

FINIS.

INDEX AVCTORVM

Qui præter ipſum GELLIVM, *in hiſce Lucu-lrationibus citantur, emendantur, illuſtrantur.*

ALCIPHRONIS Rhetoris epiſtola inedita. pag.78
Ariſtænetus. 97
Aſconius Ciceronis Interpres. 90
Athenæus. 112. 66. 58
Auſonius. 83
Briſſonius. 71
Cicero. 103. 70. 90. 91. ibidem emendatur.
Damaſcius. 97
Demophilus. 102
Diogenes Laërtius. 112. 52. 70
Dionyſ. Halicarnaſſ. 58. 96
Eraſmus Roterodamus. 62. 105
Feſtus Pompeius. 43
Gloſſæ Iſidori. 45
Hippocrates. 100
Horus Apollo. 38
Iſidorus. 74
Iulianus Imperator. 108
Iulius Pollux. 83
Liuij Epitome. 88
Liuius Hiſtoricus. 72
Liuius poëta. 74
Martianus Capella. 52
Martialis. 58
Macrobius emendatur: 103. 116
Nonius. 51. emendatur. 50. 54. 64. 75. 76
Olympiodorus. 55
Pacuuius. 39
Perſius. 59
Phædrus. 83. 109
Photius. 97
Plautus. 43
Plutarchus. 43. 117
Plinius. 114. 58. 108
Porphyrio Horatij Interpres emendatur: 46
Priſcianus. 44. emendatur: 74. 77
Pythagoras. 97
Sabinus Hippocratis Interpres. 100
Seruius Virgilij Interpres. 58
Suetonius. 40. 63. 90
Tertullianus. 49. 58. 83. 95. emendatur: 60
Theocles Poëta Comicus. 65
Terentius. 103
Theon Arati Interpres. 108
Varro 41. 43. 51. emendatur. 50. 64. 65. 75. 82

Verrius Flaccus. 96
Valerius Probus. 41
Valerius Maximus. 51. 46. 58. 90
Vlpianus Demoſthenis Interpres. 84
Zenobius. 34

EMENDANDA.

Pag. 31. *lin.* 12. *pro* eas *ſcribe* eos. *Pag.* 91. *lin.* 1. *pro* Aulæ *ſcribe* Aule.

SVMMA PRIVILEGII Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM *eſt auctoritate Regis, nequis in Regno ſuo, aliiſve locis ſuæ ditioni ſubditis, intra decem proximos annos, librum qui ſic inſcribitur:* PETRI LAMBECII Prodromus Lucubrationum Criticarum in Auli Gellij Noctes Atticas, &c. *abſque Sebaſtiani Cramoiſy, Regis & Reginæ Regentis Architypographi permiſſu imprimat aut diuendat à die publicationis horum exemplarium: qui ſecus fecerit, multa indicta, prout ampliùs in diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Pariſiis menſe Aprili* 1647. *Sic ſignatum, De mandato Regis,*

CRAMOISY.

L: 28: –

A01 1466937